

grantem, nisi quod aliquo modo alteri adjungatur, illique deserviat; non quod idem faciat atque illa. Et sic S. Thomas dicit in præsentis articulo tertio: « Quod per prima verba significatur conversio; per sequentia vero virtus sanguinis effusi. » Non ergo dicuntur esse de integritate formæ, quasi significant aliquo modo conversionem, vel illam efficiant; sed quia adjunguntur illis verbis consecratis, tamquam significantia virtutem sanguinis effusi, non ipsam conversionem.

XXIX. Ultimo inquires, quid significet pronomen hoc, vel hic, in formis consecratis, et quem sensum faciant formæ istæ. Respondetur ly hoc non posse demonstrare panem, neque sola accidentia panis, quia sic falsificaretur propositio, dicendo de illis, quod sint corpus Christi; neque demonstrant ipsum corpus Christi in se, quasi sit sensus, hoc corpus est meum, quia sic solum significaret quod esset in se, non quod esset ex pane. Unde neque sumitur ly hoc adjective, quasi dicat hoc corpus est corpus meum; sed ly hoc demonstrat substantive hoc contentum sub speciebus esse corpus Christi. Et similiter in calice, hic calix demonstrat contentum sub speciebus vini quod est in calice. Vel si dicatur: *Hic est sanguis meus*, sensus est, hic liquor, seu contentum sub speciebus hujus liquoris, est sanguis meus. Ratio est, quia sic verificantur verba, et significatur conversio in facto esse; et nullum est inconveniens significari per ly hoc, tale contentum indefinite. Explicantur singula. Nam quod hoc contentum sub speciebus sit corpus Christi, verificatur finita prolatione propositionis; ergo in ordine ad illud instans verba vera sunt: hoc autem sufficit ad veritatem, quia propositio non debet verificari nisi in ultimo suæ prola-

tionis: tunc enim est perfecta et completa, et non ante: ergo tunc, et non ante verificari debet, et in ordine ad tale instans ultimum: tunc autem jam est verum dicere, quod hoc est corpus Christi, quia ita est in re; ergo.

XXX. Quod vero optime significet conversionem, probatur, quia in primis significat significatione practica et efficaci, quæ non præsupponit suum objectum, sed facit. Licet enim objectum specificet, et hac parte præsupponatur ad significationem specificatam, non tamen requiritur nisi quod præsupponatur in intentione et objective, subsequatur autem in exercitio et in executione: sicut finis in intentione existens specificat actum, licet in executione subsequatur. Sufficit autem ad veritatem propositionis, quod in ultimo instanti prolationis res existat, quam significat, quia in ordine ad tale instans verba illa veritatem significant, quia practica sunt et factiva sui significati, sicut quæcumque actio productiva et factiva respicit suum objectum ut a se faciendum pro ultimo instanti, non vero factum supponit. Deinde per hæc verba sic explicata significatur corpus Christi, non absolute, sed ut ex pane, quia designatur contentum, quod prius erat panis, et in fine prolationis verborum est corpus Christi; quod non potest stare nisi destruendo substantiam panis, et non per annihilationem, quia aliquid fit; ergo per conversionem; cui favet Concilium Tridentinum sess. XIII, cap. IV, dum colligit hanc conversionem ex eo quod verbis istis significavit Christus id quod offerebat, esse corpus suum; ergo optime significatur conversio, dicendo hoc contentum est corpus Christi, quia id quod continetur offertur.

XXXI. Solum instari potest: Quia

ly hoc est demonstrativum rei in singulari; ergo quando pronuntiat super panem, designat rem illam in singulari: illa autem est individuum positum sub aliqua specie, et non sub alia quam sub specie panis; ergo ly hoc designat individuum panis quando profertur: sed designando individuum panis falsificatur propositio, quia affirmatur propositio de ipso quod est corpus Christi, et hoc est falsum. Quod si dicatur, per ly hoc non designari ipsum individuum ut contentum sub pane, sed indefinite et in communi contentum sub speciebus, sequitur quod ista propositio non sit singularis, sed indefinite et in communi, cum tamen pronomen hoc sit demonstrativum rei singularis, quia demonstrat ad sensum; nec potest aliud demonstrare tunc quando profertur, nisi illud individuum panis.

XXXII. Respondetur ly hoc demonstrare rem unicam et singularem formaliter (scilicet sub ratione contenti) licet materialiter sit multiplex, et in principio sit panis, et in fine prolationis corpus Christi: sic enim significatur conversio. Sicut quando dico hic locus, designatur aliquid singulare formaliter in ratione ambientis in tali distantia: sic enim e converso designatur hoc contentum formaliter sub ratione contenti, quidquid illud sit materialiter, sicut hic locus materialiter sunt diversæ superficies, sive aeris, sive aquæ, sive alterius corporis; formaliter autem idem ambitus: sic ergo ly hoc, significat aliquid utriusque extremo commune, quod sub formalitate contenti est unum (scilicet contentum sub speciebus) licet materialiter sit multiplex, quia in principio est panis, et in fine prolationis corpus Christi. Et sic est sensus, hoc contentum, quod prius est panis, est corpus

Christi. Et cum dicitur, quod hoc modo illa propositio erit indefinite, respondetur, quod erit indefinite secundum quid; simpliciter autem singularis, quia demonstrat hoc contentum sub accidentibus, quod ratione contenti est unum, licet materialiter et ex parte connotati sit multiplex, et utrumque completatur quasi vage et indefinite. Nec est novum quod ly hoc possit demonstrare individuum vago et indefinite modo, saltem ex parte sui materialis, ut cum dico: Hæc herba nascitur in horto meo, non demonstrat hanc materialiter in individuo, sed hanc speciem herbæ, connotando ejus sensibilem demonstrationem per accidentia visibilia.

ARTICULUS II.

Utrum verba physice efficiant conversionem, et pro quo instanti?

I. Utraque hæc difficultas connexa est, quia si tribuimus verbis physicam efficientiam, oportet declarare pro quo instanti illam habeant; quod valde difficile est in prolatione verborum. Cum enim proferantur per motum, non habent instans intrinsecum suæ desitionis, sed extrinsecum, quia motus desinit per primum non esse: in illo autem instanti quo verba finiuntur, non existunt, sed transierunt, quia est instans extrinsecum; ergo non possunt causare physice, quia quod physice non existit, neque causat. Si autem solum moraliter causarent, non esset difficultas, quia tunc sufficit præsentia moralis; censetur autem moraliter existere, quod immediate ante præterit, et in existimatione est perinde ac si esset: tunc autem solus Deus causaret illam conversionem, supposita illa

præsentia morali verborum, quæ physice et in re est præterita. Et hæc est ratio dubitandi pro secunda parte quæstionis.

II. Pro prima vero parte, an verba ista physice causent conversionem, possumus sumere rationem dubitandi, vel ex communibus omnium sacramentorum, an possint esse instrumenta physica gratiæ, vel ex particularibus hujus sacramenti et conversionis. Ex communibus non sumitur modo ratio dubitandi, quia supponitur ex tractatis supra quæstione XIII de humanitate Christi, et quæst. LXII de causalitate sacramentorum, non esse impossibile Deum assumere rem corpoream pro instrumento physice causativo gratiæ, ut effectus spiritualis; et de facto id communicari sacramentis probabilius est. Solum ergo sumitur in præsentia difficultas ex specialibus hujus sacramenti, eo quod ista conversio est totalis, et non ex aliquo subjecto, sicut formalis, in quo assimilatur creationi, ut supra diximus, et docet S. Thomas quæst. LXXV, art. VIII; sed respectu creationis non potest dari instrumentum physicum, ut docet S. Thomas I part. quæst. XLV, art. V, ex eo quod creatio caret subjecto, ex quo fiat: ergo pari ratione debet negari in hac conversione physicum instrumentum. Et nos in materia de incarnatione negavimus posse dari instrumentum ipsius, quia trahitur natura ad esse suppositi, neque in illa supponit esse, quantum est de se; ergo pari ratione non potest dari instrumentum hujus conversionis, quia facit totum esse ex non subjecto.

III. Sed contra est S. Thomas in hac quæstione, art. IV, ubi docet: «Verbis istis inesse virtutem creatam ad perficiendam istam conversionem.» Et solutione ad secundum negat dari instrumentum creationis; quod

tamen concedit pro ista conversione. Si autem loqueretur de solo instrumento morali, quod consistit in hoc quod ad præsentiam illorum verborum, vel illius instrumenti Deus se solo efficiat conversionem, nulla est repugnantia quod detur instrumentum creationis morale, quia non repugnat, quod ad intercessionem alicujus sancti, vel ad prolationem aliquorum verborum, Deus se solo creet Angelum vel animam; sicut multoties propter preces alicujus sancti datur alicui filius, et creatur illa anima. Similiter ad instrumentum morale non est necessarium ponere in ipso instrumento aliquam virtutem creatam, si quidem instrumentum morale non influit per virtutem physicam in effectum, sed Deus se solo ad positionem illius rei operatur; et sic sufficit pactum, vel voluntas Dei; non autem requiritur aliqua virtus creata ad operandum illum effectum. Et plura alia loca sunt S. Thomæ, quibus constat ipsum loqui de instrumento physico, et non solum de morali, quando passioni Christi et sacramentis attribuit virtutem ad producendam gratiam, et effectus supernaturales, quæ in materia de sacramentis in genere ponderata sunt.

IV. Fundamentum hujus est, quia de se nulla est implicatio, neque a contraria sententia assignatur, quod Deus possit uti aliqua creatura tamquam instrumento physico ad producendum istos effectus, sicut artifex utitur instrumento ad producendos effectus artificiales. Et si quæ difficultates in oppositum afferuntur, facilem habent solutionem, ut in materia de sacramentis in genere ostensum est, et plures etiam solvimus in quæstione XXVI physicorum, art. II; non ergo id est negandum omnipotentia divina. Quod vero de facto sacramenta novæ le-

gis istam virtutem habeant, probat S. Thomas supra, quæst. LXII, art. I, quia si solus Deus causaret gratiam ad positionem sacramentorum (quod esset causare solum morali instrumento, et non physico) et non causarent gratiam sacramenta operando, hoc non excederet rationem signi, et ita sacramenta solum significarent gratiam, non vero efficerent aut continerent illam, quia ad positionem sacramenti Deum producere gratiam nullum influxum requirit ex parte sacramenti, sed sufficit nuda significatio: at fides docet sacramenta novæ legis non solum significare, sed etiam continere et operari gratiam, ut constat ex Concilio Tridentino sess. VII, can. VI: «Si quis dixerit sacramenta novæ legis non conferre gratiam ex opere operato, anathema sit.» Ergo si sacramenta continent gratiam, quam significant, aliquid habent præter significationem in causando gratiam. Significatio autem est causalitas moralis, quatenus ad illius præsentiam Deus se solo causat illam; ergo si non solum sacramenta significant, sed etiam continent gratiam, illamque conferunt ex opere operato, aliquam causalitatem habent ultra moralem, et hanc vocamus physicam. Idem dicendum est de verbis consecrationis respectu hujus conversionis eucharisticæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

V. Ad primam difficultatem positam a principio respondetur ex S. Thoma hic art. IV ad tertium ubi inquit: «Quod vis conversiva, quæ est in formis horum sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione ultima dictionis terminatur; et ideo in ultimo instanti prolationis verborum prædicta

verba consequuntur hanc virtutem; in ordine tamen ad præcedentia.» Ubi illud ultimum instans non potest intelligi de ultimo intrinseco ipsi motui, quia motus non desinit per ultimum sui esse, et per ultimum instans intrinsecum, sed per primum non esse; et tamen S. Thomas ponit quod illa verba non consequuntur virtutem istam nisi in illo ultimo instanti, in quo tamen jam non est motus physice, quia est primum non esse motus. Quomodo ergo in illo instanti consequuntur verba virtutem physicam, si tunc jam non existunt physice?

VI. Relictis variis expositionibus et sententiis, nostra interpretatio est, quod instans ultimum, in quo dicit S. Thomas verba consequi hanc virtutem, est quidem instans extrinsecum motui et prolationi verborum, ut motus est precise; est tamen intrinsecum voci significanti, quia vox non est ipse motus localis linguæ producentis vocem, sed est aliquid productum per talem motum, quia vox est sonus ore animalis productus; sonus autem qualitas est, et non motus localis formaliter: est enim id quod percipitur per auditum, tamquam proprium sensibile illius; et hoc non est motus localis, sed qualitas. Constat autem, quod sonus et vox durat physice, etiam post motum a quo producitur, ut constat experientia, quando a longe videmus percussorem, quod prius videmus quiescere motum percussorem, et postea audimus sonum; et prius videmus fulgur, et postea tonitruum audimus, cum tamen ex motu tonitruum causatum sit fulgur; ergo durat sonus, seu vox, post motum. Vox autem est quæ imponitur ad significandum, et non motus localis; ergo bene stat quod motus in quantum talis desinat per primum non esse, et tamen in illo instanti duret adhuc vox in

quantum sonus in facto esse : ergo jam damus aliquid physice existens in illo instanti extrinseco motus, quod possit elevari ad causandum physice; nempe vocem cum sua significatione tunc in facto esse existentem.

VII. Ad secundam difficultatem respondetur ex S. Thoma in hoc articulo quarto ad secundum: « Quod in creatione non fuit aliquid extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari; et ideo non est simile. » Quæ verba, inquit Suarez, obscurissima esse videntur, quia actio instrumenti proprie et per se non terminatur ad extremum, quod desinit esse, sed ad terminum qui incipit, qui est terminus ad quem; et hic etiam in creatione reperitur. Nec obstat, quod etiam in ista conversione supponatur materia ex qua fiat ille terminus, quod in creatione non reperitur, si quidem illa materia non est subjectum actionis, ut supra diximus, sed ista actio est sine subjecto: ergo parum interest, quod ex parte termini a quo reperiat aliquid positivum, si illud non est subjectum actionis, sed potius destructum ab actione: ergo remanet actio sine subjecto sicut in creatione.

VIII. Quod vero terminus ad quem sit subjectum actionis, quatenus identificatur cum illo, hoc etiam in creatione invenitur, quia cum ipsa re creata identificatur actio. Et aliunde corroboratur difficultas, quia S. Thomas requirit pro instrumentis aliquam actionem præviam dispositivam in ordine ad effectum principalis agentis; verba autem consecrativa non apparet quam actionem dispositivam habeant circa panem in ordine ad conversionem; quod vero extra panem habeant actionem, omnino impertinens est, quia talis actio non potest disponere ad id, quod fit in pane; alias non

repugnaret dari instrumentum creationis, si actio instrumenti non requiritur quod operetur circa id, quod creatur, sed circa aliud subjectum. Et denique urgent quædam loca S. Thomæ, quibus significat verba ista virtute instrumentali non attingere terminum ad quem, qui est Christus, sed terminum a quo, qui est panis, ut patet in IV, dist. I, quæst. I, art. IV, quæstione prima ad sextum, et dist. VIII, quæst. II, art. III ad quintum.

IX. Respondetur ergo, quod ad instrumentalem actionem non requiritur determinate subjectum, in quo sit actio inhæsiue; hæc enim cum termino ad quem identificatur, et ubi est ille terminus, est ista actio; sed requiritur subjectum ex quo, sive tale subjectum sit materia ex qua educitur forma, sive sit extremum quod transit in alterum; et hoc ideo est, quia actio instrumentalis, cum sit creata, debet esse per modum mutationis, nec potest operari nisi immutando, cum sit accidens, et modo accidentali operetur; quare ut actio elevetur a Deo ad aliquem effectum ultra propriam virtutem, sive faciendum in eo subjecto et loco unde actio procedit, et ubi versatur, sive in alio distante, requiritur et supponitur, quod sit mutatio; alias non erit actio creata, et consequenter neque instrumentalis: si autem manet mutatio, non potest operari, ex nihilo sicut creatio, quia mutatio vel debet esse ex subjecto, in quo recipitur, vel ex termino et extremo, quod mutatur; neutrum autem invenitur in creatione, quia est ex puro nihilo; invenitur autem in ista conversione, quia habet extremum positivum, quod mutatur in corpus Christi, quidquid sit de subjecto inhæsiionis, ubi est talis actio, quia de hoc non curavit S. Thomas, sed supposuit, quod omnis actio, sive instrumentalis, si-

ve principalis, identificatur cum suo termino ad quem, et in illo subjecto est, in quo terminus; sed solum voluit salvare, quod ista actio sit mutatio; et cum constet hanc conversionem esse mutationem ratione extremi quod convertitur (scilicet panis) ideo hoc invento non curavit S. Thomas de subjecto inhæsiionis, quia ipse sentit, etiam actum immanentem posse instrumentaliter operari in aliquid distans, et existens in alio subjecto, ut docet 2-2, quæst. CLXXVIII, art. I ad primum. Et humanitas Christi existens in cælo operatur omnes effectus gratiæ in terra. Quare sufficit ad actionem instrumentalem, quod sit mutatio, et operetur ex aliquo subjecto, vel extremo; et intra limites operandi modo immutativo potest elevari a Deo ad quemcumque effectum. Ad operandum autem sine mutatione, et ex nihilo, non potest elevari, ut in creatione. Et idem est de incarnatione, quatenus confert naturæ ipsum existere et subsistere perinde ac si fieret ex non esse, ut in materia de incarnatione diximus.

X. Ad id vero quod dicitur de actione prævia dispositiva, responsum est quæst. xxvi physicorum, art. II, quod non dixit S. Thomas, neque requiritur quod instrumentum producat dispositionem aliquam requisitam ad effectum principalis agentis; sed sufficit quod dispositive operetur, quatenus ex parte modi operandi habet se ad operandum effectum principalis agentis juxta modum ipsius instrumenti est, ut operetur per actionem quæ sit mutatio: unde potest elevari a Deo ad quemcumque effectum supernaturalem, qui sub tali modo et dispositione fiat, nempe sub tali modo mutationis, non ad illum qui sine mu-

tatione sit, ut creatio. Ad loca S. Thomæ respondemus dicere, quod actio instrumentalis attingit desitionem panis, et non terminum ad quem; non quia revera non attingat corpus Christi, sed quia attingit illud ut ex pane, et sub ratione mutationis; et ideo ex parte panis ut destructi accepit S. Thomas conditionem requisitam ut attingatur corpus Christi per instrumentalem actionem, quæ est mutatio.

XI. Adhuc tamen instabis: Nam si verba consecrativa habent istam causalitatem physicam: ergo etiam ipsa Christi humanitas habet eandem causalitatem, quia virtus verborum descendit a virtute Christi, præsertim quando ipse consecravit in die cœnæ per seipsum: ergo ipsa Christi humanitas seipsam efficit, quod est absurdum; vel si physice non efficit, neque verba.

XII. Respondetur nullum esse inconveniens, quod aliquid attingat seipsum sub alio modo (scilicet Christus in propria specie existens, seipsum ut conversum est ex pane.) Est autem inconveniens, quod aliquid, etiam instrumentaliter, seipsum producat in esse primo et per se; sic enim supponeretur existens, qui producit, et supponeretur non existens, quia producit; non autem est inconveniens, quod supponatur existens absolute, et supponatur non existens tali modo, ut conversum, et prout ex pane; et sic ut Christus existens influat in seipsum ut conversum. Non tamen potuit Christus, nec aliqua virtus ab illo procedens, influere in suam primam conceptionem, ut docet S. Thomas hic ad secundum, qui tamen non negat per virtutem Dei non procedentem ab humanitate Christi, potuisse effici illam conceptionem.